22

DE

PVRGATIONE ALV
FREQVENTIORE
VENENO MAGIS QVAM PANACEA

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

CONSENSV

PRAESIDE

GEORGIO AVGVST(
LANGGVTH D

ANAT. ET BOTANIC. PROF. PVBL. ORD

AD DIEM XXII. SEPTEMBR. cIↄ Iↄ CCLI

H. L. Q. C

PRO GRADV DOCTORIS

DISPVTABIT

M. GEORGIVS CHRISTIANVS KLINGNER

LIPSIENSIS

MEDICINAE CANDIDATVS

VVITTENBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS

DE PVRGATIONE ALVI FREQVENTIORE VENENO MAGIS QVAM PANACEA.

§. I.

De noxa, non vna, ſed multiplici et funeſta ſaepe, quam purgationes alui copioſae et nimiae corpori noſtro inferunt, ſaepe diligenterque, pro rei dignitate, in ſcholis noſtris diſputatum eſt; nec ita quidem diu idem argumentum, profeſſo ſtudio et ſueta elegantia, tractauit IO. HENRIC. SCHVLZIVS, a) Medicus, dum viueret, in clariſſimis artis Profeſſoribus habitus. Ex quo facile quiuis, etſi rerum noſtrarum non ita peritus, intelligat, eius modi purgationes, frequenter imperatas, et, tanquam

 vnum

a) Diſſ. *de Purgatione copioſa et nimia.* Halae, 1736.

vnum omnibus morbis opponendum remedium, commendatas, recte meritoque medicinam, exitio magis, quam ſaluti, hominum quaeſitam, habendas eſſe, immo, nomine ſuo, peſſimum, nominandas, venenum. Enim vero, quum non agyrtae modo et circumforanei homines, ſed, quod cum BERGERO b) pudet dicere, etiam in artis exercitio conſeneſcentes Medici, pro ſua, quaſi cum annis creſcente, φιλαργυρίᾳ, purgantes ſuas panaceas glorioſius iactare, et vbique locorum venales exponere, denuo inceptent, fidemque hinc inde haud difficulter inuenire videantur, eo potiſſimum nomine, quod, quae agant, aut agenda conſulant, natura ipſa praetexerit: operae pretium nos facturos putauimus, ſi quidem, commoda hac et ſollemni ſcribendi occaſione, *purgationem alui frequentiorem, magis venenum, quam panaceam, dicendam eſſe*, veſtigia naturae aliquanto curatius indicantes prementesque, demonſtrauerimus. Quod, vt Deus bene, et in publicae rei ſalutem, vertat, precamur.

§. II.

DICIMVS autem purgationem alui, euacuationem ſordium, in inteſtinis collectarum, per aluum inferiorem, quae medicamentis fit; atque de ea confirmamus, quod, illam ſaepe et crebrius moliri, contra naturam repugnet, et ſanitati magis, tanquam venenum, noceat, quam ipſam, quae virtus medicinae et panaceae tribuitur, iuuet et confirmet. Qua addita conditione, ſicuti non omnem purgationem, frequenter iteratam, ſuſpectam aut nociuam eſſe, pronunciamus: ita quoque reliquas corporis purgationes, quae per alia loca, ſed contra naturam, et frequentius, promouentur, non omnino volumus excluſas. Equidem latior

b) Diſſ. *de Vita longa*, §. 34. Vitemb. 1708.

latior purgationum ſenſus patet, et plures hoc nomen, noſtris etiam in ſcholis, praeeunte artis conditore, HIPPOCRATE, ſignificatus admittit; conſenſus tamen horum ſignificatuum admirabilis eſt, et ſingula purgationum genera in ſalutem noſtram, ſanitatemque, exoptatiſſime conſpirant.

§. III.

SCILICET abſolute, et ſine conditione adiecta, voce καθαρσίων, καθαρσίας, καθαρσίης, HIPPOCRATES ſaepe vtitur, eademque, tum purgationem corporis in genere, tum etiam, quae ſumto medicamento per aluum fit, indigitat: ſed, non ſemper, eundem huic voci ſenſum ſubiicit. In libro enim, de *decenti ornatu*, c) requirit a Medico *cognitionem ad vitam vtilium et neceſſariarum purgationum*, εἴδησιν τῶν πρὸς βίον χρηστῶν καὶ ἀναγκαίων καθαρσίων. Quo in loco aliud quid per purgationes intelligi, ea, quae antecedunt et conſequuntur, facile, vt ſentias, efficiunt. Quid illud autem ſit, de eo videas inter commentatores non conuenire. Probabile eſt, HIPPOCRATEM hic purgationem ad animum referre, et non modo nudam aliquam cognitionem philoſophiae, ſtudiumque eius hiſtoricum, ſed praeterea ipſam voluntatis emendationem, prauorum in primis adfectuum adpetituumque dominationem, et diuturnam quaſi victoriam, quae demum philoſophum faciat, intellectam velle. Conſentimus in hac re FOESIO, d) et SIGISM. SCHMIDERO, e) non, propter auctoritatem, ſed

c) Περὶ εὐσχημοσύνης. V. 14. ed. LIND.

d) in Notis ad h. l. et *Oeconom. Hippocratic.* tit. κάθαρσις.

e) Obſeruatione de HIPPOCRATIS *purgatione morali, inſert. Act. Erud. Supplem. Tom. V. Sect. XI. p. 527. ſqq.*

ſed propter rei naturam et neceſſitatem; vtque alios conſentientes habituri ſimus, integrum locum adſcribimus: Ἰητρὸς γὰρ φιλόσοφος ἰσόθεος. οὐ πολλὴ γὰρ διαφορὴ ἐπὶ τὰ ἕτερα. Καὶ ἔνι τὰ πρὸς σοφίην ἐν ἰητρικῇ πάντα. ἀφιλαργυρίη. ἐντροπή. ἐρυθρίησις. καταστολή. δόξα. κρίσις. ἡσυχίη. ἀπάντησις. καθαριότης. γνωμολογίη. εἴδησις τῶν πρὸς βίον χρηστῶν καὶ ἀναγκαίων καθαρσίων. ἀπεμπόλησις. ἀδεισιδαιμονίη. ὑπεροχὴ θεία. *Medicus enim Philoſophus eſt Deo aequalis. neque enim multa inter ipſas eſt differentia. nam omnia, quae ad ſapientiam requiruntur, inſunt in medicina: argenti contemtus. reuerentia. verecundia. habitus ſubmiſſus. auctoritas. iudicium. quies. obuiam itio. munditia. doctrina. cognitio ad vitam vtilium ac neceſſariarum purificationum. alienitas a mercimoniis. alienitas a ſuperſtitione. praeminentia diuina.* Haec ex verſione LINDENII.

§. IV.

IPSE enim HIPPOCRATES, quae laus eius apud omnes perpetua eſt, et Medicus, fuit, et Philoſophus; doctrina pariter ac ipſa re, conſummatiſſimus. Finem ſapientiae; cum PYTHAGORA et PLATONE, *f)* virtutis conſtituebat ſtudium, quo ad eum felicitatis gradum peruenire homo poſſit, vt vel ipſi Deo ſimilis ageret, et quamdam veluti ἰσοθεότητα, ſiue ὁμοίωσιν τοῦ Θεοῦ, conſequeretur; at hoc virtutis ſtudium, tum in cognitione ſui ipſius, tum in morali quadam animi purgatione a paſſionibus ſuis, eiusque liberatione a corpore, quatenus ipſi impedimento eſſet, conſiſtere ponebat. Hoc ex virtutum, quas longo ordine recenſet, indice omnino eluceſcit. Quod enim ad vitam vtile et neceſſarium videtur, hoc requirit, non, quod ad quemdam quaſi ἐνθουσι-

ασμὸν

f) BRVCKERVS *Hiſtor. Philoſophic.* Tom. II. p. 459. ſqq.

ασμὸν perducat, et falſam prodat animi magnitudinem. Accedit vero, ex ipſo vitae vſu, et tam diuturno artis exercitio, abunde HIPPOCRATEM didiciſſe, quae vis et poteſtas animo in corpus ſuum competat, et quam ſaepe male ſanae animi adfectiones praeſentem ſanitatem corporis labefactent, roburque eius paullatim depaſcant, morborum autem tenuiſſima principia adaugeant, et, quam metuimus horremusque, perniciem, ipſamque mortem, accelerent. Triſtiſſima, ſed vera, ſed veriſſima experientia. Exemplo igitur ſuo, integer vitae ſcelerisque purus, at, hac virtute ſua, vegetus etiam valensque, ſenex diſcipulis praeibat, vt ipſi, in magiſtrum intuentes, aliis olim exemplo eſſe mature diſcerent. Docuit autem praeterea, virtutem eſſe optimum ſanitatis cuſtodem, et Medicum, hac ſapientia excellentem, vel Deo ſimilem habendum: vt hic, omnes eos, qui ſanitatem ſuam ipſi tuendam concredunt, eo confidentius atque efficacius ad virtutis ſtudium adhortari, et plane excitare, officii ſui principem eſſe partem cogitet; illi autem, vt Medici ſui conſilium monitumque amice accipiant, eoque diligentius ad monentis amici exemplum ſeſe componant. Sic eſt enim, ſic eſt: Exaſperat homines imperata correctio, blandiſſime iubetur exemplo. Turpe autem Doctori eſt, quum ipſum culpa redarguit.

§. V.

ATQVE haec eſt vna illa purgatio, qua, quo frequentius inſtituitur, eo certius in vitae longitudinem, in duraturam animi corporisque ſanitatem, conſulitur. Haec medicina, vt neque Medico, neque iatralipta, toties egeas, in primis efficit. Vtinam vero hanc vniuerſalem medicinam, hanc omni auro cariorem pa-

naceam,

naceam, nemo ſibi comparare negligat, qui vitam ſuam beate iucundeque viuere optat. Vtinam ii cum primis omnes, qui, proſpera valetudo quid habeat voluptatis, carendo magis, intelligunt, quam fruendo, hoc pretioſiſſimum ἀλεξιφάρμακον faſtidire aliquando dediſcant. Nihil enim agis, quidquid demum excuſes. Te ipſum noſce, et laetus experieris, omnino in tua poſitum eſſe poteſtate, vt aegritudines tuas vincas, vt conſuetudinem emendes, vt vehementiſſimis etiam commotionibus fraena iniicias: ratio praeſit, oportet, adpetitus vero rationi obediant. Aurea illa CICERONIS g) continuo meditemur: *Eſt*, inquit, *in animis omnium fere natura molle quiddam, demiſſum, humile, eneruatum quodammodo et languidum. Si nihil eſſet aliud, nihil eſſet homine deformius. Sed praeſto eſt domina omnium et regina, ratio, quae, connixa per ſe, et progreſſa longius, fit perfecta virtus. Haec vt imperet illi parti animi, quae obedire debet, id videndum eſt viro quonam modo? inquies. velut ſeruo dominus, velut imperator militi, velut parens filio.* Haec de primo et principe purgationis genere; nunc ad reliqua pergimus.

§. VI.

EQVIDEM hac officii noſtri intermiſſione, neglectis his, tam vtilibus ad vitam, tam et neceſſariis, animi purgationibus, id in primis efficitur, vt Aeſculapio deinceps eo ſaepius morem gerere, et purgatoriis remediis corpus, aluumque, euacuare, inuiſa neceſſitate nos videamus coactos. Eius modi eſt huius aſſerti veritas, vt, in noſtro quidem circulo, vlla probatione non indigeat. Sed, quum plurium interſit, vt naturam ſuam diſcant, hanc ipſis, vt perſpicere

g) *Quaeſt. Tuſculan.* II. 21.

cere, vt ſecundum ipſam deinceps viuere, poſſint, veluti ante oculos exponamus conſultum eſt. Enim vero, quod vulgo dicitur, non ſatis eſſe, vt bene ingeramus, et bene digeramus, ſed hoc praeterea requiri, vt etiam bene egeramus; hoc rectiſſime dicitur, et naturae omnino conſentaneum eſt. Haec enim ſingula, vt bene et ſecundum naturam eueniant, de eo cuique diligenter proſpiciendum eſt; ſollicita maxime obſeruatione earum rerum omnium, quae, aut prodeſſe ipſi, ſolent, aut obeſſe. Nam is eſt triplicis huius actionis, quam et functionem adpellamus, perpetuus conſenſus nexusque, vt, quidquid altera peccet atque deliret, altera continuo luere plectique debeat. Vitia, ſcholae noſtrae aiunt, quae in prima concoctione committuntur, neque in altera emendantur, neque in tertia. Quod verſa quoque vice omnino verum eſt.

§. VII.

Fac igitur, quod primum eſt, nos omnino naturae conuenienter viuere, et, medico quidem ſenſu, bene ingerere et digerere; tum vero in id quoque ſcrupuloſior obſeruatio dirigenda eſt, vt ea, quae in naturam noſtram conuerti non potuerunt, bene egerantur. Quod vt commode et opportune fiat, tres potiſſimum a natura patere vias, nouimus, per aluum, puta, per veſicam, et per externum denique corporis habitum. Singula via vt id ducatur, quod, per illam duci, naturae conſentaneum eſt, oportet; id quod, ad hanc legem, fieri non obſcure intelligimus, ſi valemus recte, ſi cum facilitate et iucunditate, ſi omni ſine moleſtia, ingerimus, digerimus, et omnia munia noſtra ad votum obimus. Clarius hoc patet, ſi per ſingula loca, definito tempore,

re, et ceteris paribus, nec plus, nec minus, euacuatur, ſi altera via alterius vices in ſe non ſuſcipit, nihilque, quod nullius vtilitatis, quod oneri, ſit, in corpore relinquitur. De illis euacuationibus, quae per aluum renesque fiunt, non multa eſt difficultas. Et quale, illud ſit, et quantum, quod per vtramque hanc viam excernitur, aeſtimari ſenſu, et inuicem comparari, poteſt. Sed inſenſibilem, per ſuperficiem cutis, perſpirationem metiri, et, quale quantumque ſit, quod hac via ducatur, niſi ſubtilior adhibeatur animaduerſio, aeſtimare, eademque adcuratione determinare, non poſſumus. Neceſſarium tamen eſt, vt hoc probe, et eodem modo, cognoſcamus; quum, ſine hac cognitione, nec reliquae binae euacuationes iuſte aeſtimari poſſint, neque omnis generatim obſeruatio, num bene egeramus, ſatis firmo innitatur fundamento.

§. VIII.

Cvi quidem deſiderio dudum pleniſſime ſatisfactum eſt. Inuenit enim, et triginta annorum curioſiſſimo labore perfecit, hanc Diapnoemetriam incomparabilis SANCTORIVS, *Statica* ſua, quam uocat, *Medicina*; inuento, ſi quod aliud, aeternis gratiis digniſſimo; ad eamque certitudinem hanc rem delicatiſſimam adduxit, vt plerique omnes, ad haec tempora noſtra, in ea acquieſcendum iudicauerint. Deprehendit autem SANCTORIVS, b) ſpatio vnius noctis, coctorum excrementorum per aluum vtplurimum vncias quatuor, lotii vncias ſedecim, plus minusue, et per occultam perſpirationem vncias quadraginta et vltra, euacuari; vt adeoque, facta computatione, excretio per aluum, omnium ſit minima, et ſe habeat

b) Sect. I. Aphoriſm. 59.

habeat vt pars vna; quae per vrinam fit, medio modo ſe habeat, fere vt partes quatuor; et, quae per inſenſibilem perſpirationem, reliquas, ſimul ſumtas, altero tanto plus ſuperet, et ſit in ratione partium decem; quumque, per diem, cibi et potus partes octo ingerantur, ſola tranſpiratione partes quinque iterum in auras abire obſeruauit. i) Sed probe tenendum eſt, SANCTORIVM haec ſua experimenta in aëre calidiore, in Italia, ſumſiſſe; KEILIVM k) autem in Anglia, in aëre ſcilicet frigidiore, admodum diverſam eorum inueniſſe rationem; quod etiam DODARTO l) in Gallia, et GORTERO m) in Belgio, pro aëris diuerſitate, obſeruatum eſt. Quare nos, pro noſtri coeli temperie, ſatis probabiliter conſtituere poſſumus, his noſtris in terris dimidiam circiter ingeſtorum partem per cutem perſpirari, alterum vero dimidium per vrinam aluumque excerni, ita tamen, vt haec illi minimum triplo ſit inferior.

§. IX.

QVAE *Sanctoriana* Diapnoen metiendi methodus, quum et longe ſit curioſiſſima, et cum firmiſſimis artis noſtrae fundamentis egregie conſentiat, erunt procul dubio, quos cum b. RIDIGERO n) male habeat, haec ſtatica experimenta, poſt SANCTORIVM, a nemine noſtrum fuiſſe repetita, correcta, aucta, his maxime temporibus, quibus immani, nec reprobando, impetu in experimenta, ruamus, anatomica, phyſica, chymica, quae tamen o-

 mnia

i) Loc. cit. Aph. 6. k) *in Medicina Statica Britannica.* conf. Act. Erud. A. 1720. Menſ. Iun. p. 286. ſqq.

l) *in Medicina Static. Gallic.* p. 222.

m) in Tr. *de inſenſibili perſpiratione.*

n) in libr. *de Diaeta Eruditorum*, cui SANCTORII *Medicina Statica*, cum ſcholiis adiecta eſt.

mnia vix tantam adferant vtilitatem, quam ſola haec ſtatica: qua negligentia noſtra vtique hoc ſumus conſequuti, vt, ſtrenui alias exterarum gentium imitatores, hac in cauſſa plane deficere videamur, nec emendatae perpolitaeque diſciplinae gloriam cum Gallis, Anglis, Batauisque, diuidere nobis liceat. Neque etiam minus mirari, cum laudato viro, ſubibit, qui factum ſit, fiatque adhuc, vt haec Medicina non applicetur magnatibus et principibus viris, vbi, de operae pretio, non modo nullum detur dubium, ſed, quorum maximis etiam auſpiciis, vtiliſſima matheſeos applicatae diſciplina breui poſſit ad ſummum adduci perfectionis, et geometricae, quam in deliciis habemus, certitudinis, faſtigium. Sane propterea non ſemper ad ſtateram ipſis eſſet ſedendum, edendum, bibendumue, nec viuendum prorſus ad adſtrictioris diaetae regulas, quas SANCTORIVS in aphoriſmis ſuis inculcat: poſſet tamen rerum in primis non naturalium vſus, et qualiscumque abuſus, maxime, ſi, ſine ſtatera etiam, ſe grauiores ſentiant, ſine omni illorum incommodo, obſeruari, et, quae parua ſaepe ſolent eſſe magnorum morborum initia, mature praecaueri. Haec autem *ὡς ἐν παρόδῳ.*

§. X.

SED, quum non minus multi quoque futuri ſint, qui, dum haec experimenta commemorantur, fabulas ſibi et ſomnia narrari putent, eorum ergo in gratiam hic nihil paradoxi, quodque ſine fundamento ſumatur, inſinuari docendum eſt. Duo autem potiſſimum ſunt, quae minus probabilia videri poſſint, alterum, quod inſenſibilis, nec ſudore comitata, perſpiratio, ſenſibilem vrinae excretionem, aut aequet, aut, quod conſtantius obſeruetur, ſuperet; alterum deinde, quod coctorum, et per aluum reie-

ctorum

ctorum, recrementorum pondus, vtrique, per cutem renesque, excretioni, in proſpera vtentibus valetudine, concedat, et, decuplo, triploque, illarum pondere ſit inferius. Ad primam igitur quod attinet dubitandi rationem, hoc vnum, infinitum, cogitent, arteriolarum tenuiſſimarum, in cutis ſuperficie diſſeminatarum, numerum, o) quem longe maiorem eſſe illorum numero vaſculorum, quae ſub extima renum tunica ſubſtantiam renum vaſculoſam conſtituant, ipſi facile videbunt. Cutis enim et renum ſuperficies longius diſtant, quam vt inuicem comparanda ſint. Sicuti autem ſingulae arteriarum renalium ramificationes alium, adhuc teneriorem, ſurculum, quem porum vrinarium ſcholae vocant, ex ſe emittunt, reliqua parte in venam abeuntes: ita, eodem modo, cum plus quam capillaribus arteriolarum cutanearum extremitatibus, vt comparatum ſit, requiritur. Quam neceſſitatem, ſanguinis circulatio per minima, niſi pateant, vaſa impoſſibilis, p) omnino efficit. Singulo igitur cordis ictu, pulſuque arteriarum, per ſingulum porum, tum vrinarium, tum cutaneum, aliquid a ſanguine ſeparari oportet, quod, in renum pelui, in guttas paullatim et ſenſibilem humorem confluit, in cutis autem ſuperficie non

o) HALLER *Commentar. in Boerhaau. Inſtitutt.* Vol. III. p. 576. Cum LEEVWENHOECKIVS vitris ſuis, quae ad mirabilem molem etiam minima corpuſcula augebant, haec vaſcula perſpirantia non adſequeretur, concludit expoſito calculo, *in ſpatio, quod granum ſabuli caperet, aperiri talium vaſculorum 125 millia.* Vid. tamen b. SCHAARSCHMIDII *Obſeruation. Medic. et Chirurgic.* P. III. p. 145. ſqq.

p) SCHVLZIVS *in Appendice* ad MONROVM, *de Iniectionib. Anatomic.* §. XI. conf. KRVGER, *Phyſiol.* cap. VIII. §. 156.

colligitur, ſed vaporis inſenſibilis halitu in auras perſpiratur. Secreti igitur, per has vias, humores vaporesque, inuicem comparandi ſunt, intuitu quantitatis, vt vaſorum, per quae ſecernuntur, numerus et diametri; quod a recepta Hydraulices doctrina non abhorret. Alterum dubium minus negotii faceſſit, et ſumto experimento facile ſoluitur. Quod, vt adornari debeat, ab ipſo SANCTORIO diſcas: *Excrementa*, ait, q) *alui concocta, ſunt multae molis, ſed exigui ponderis: ſupernatant ob aërem incluſum, et, quae vna vice excernuntur, nunquam librae trientem excedunt.* Ratio huius rei, quam idem ſuppeditat, eadem veritatis luce radiat: *Liquida*, enim, *omnia excrementa ſunt grauiora: fundum petunt: craſſa ſunt leuiora, et innatant, qualia ſunt faeces durae, craſſae, ſputamina, et alia id genus.* r) Cui accedit, in ſtatu integerrimae valetudinis, aluinas faeces nihil eſſe aliud, niſi ingeſtorum recrementa, maleque inteſtina pro publica quadam haberi ſentina, in quam omnium humorum ſordes confluere, colligi et deriuari, debeant.

§. XI.

SIC expoſita praecipuarum, quibus corpus, ſibi relictum, purgatur, excretionum natura, quilibet attentus lector, vel ſine duce, colliget, ad integram conſeruandam ſanitatem eo, omni opera, enitendum eſſe, vt quaeque, quod ſui eſt officii, promte alacriterque perficiat, neque, ſine cauſſa, incitetur, neque retineatur. Quum iſtae autem euacuationes, ſi ſecundum naturam viuimus, partem ſua ſponte et ſine noſtra conſcientia, ſuccedant, partem, leuiore quodam ſtimulo nobis admonitis, qualicumque conſenſu noſtro et adiu-

q) *Medicina Static.* Section. I. Aphor. 72.
r) Loc. cit. Aph. 25.

adiumento, promoueantur, ante omnia ex animo noſtro illa dimittenda eſt praeconcepta opinio, ſi quid illis praeter naturam accidat, id quoque, ſine manifeſta quadam culpa noſtra, ita euenire. Quo fit, vt eius modi turbationes, niſi grauiores ſint, nos parum ſollicitent, deque cauſſa, mature remouenda, tardius vt plurimum admoneant; vbi vero magnopere, et cum moleſtia et dolore quodam, nos afficiant, modo haec, modo illa, in circulo ſuo turbata excretio, mali fomes habeatur, perturbatoque animo primum quodque obuium ipſis opponatur. Ex quo, neceſſitatem intelligas, vt quilibet in numerato habeat, non modo, quamlibet harum excretionum rite, ſiue minus, ſuccedere, ſed etiam, quibus cauſſis hunc vel illum effectum in acceptis ferendum habeat.

§. XII.

QVVM inſtituti ratio non ferat, vt ſingula harum euacuationum genera perſequamur, ad illam, quae per aluum fit, quaeque omnium habenda eſt minima, progredimur. De cuius natura iam ſupra quaedam diximus; hic vero expedit, vt totam eius fabricationem habeamus perſpectam. Ab ipſo autem ore, CICERONIS s) ore potiſſimum loquuturi, incipiemus; ſed nihil, cum ipſo, praeteribimus, etſi oratio, iniucunditatis quid, quod ille quidem noluit, videatur habitura. Quum tribus rebus animantium vita teneatur, cibo, potione, ſpiritu: ad haec omnia percipienda os eſt aptiſſimum. Dentibus autem in ore conſtructis manditur, atque ab his extenuatur et molitur cibus. Eorum aduerſi

s) *de Natur. Deor.* lib. II. cap. 54. et 55. Quae CICERONIS non ſunt, partem IO. AVG. ERNESTI, V. C. *Initia Phyſices* ſuppleuerunt; partem ipſi adiecimus.

uerſi acuti morſu diuidunt eſcas, intimi autem, qui genuini et molares vocantur, conficiunt: quae confectio etiam, ab admixta ſaliua, et lingua, adiuuatur. Linguam autem, ad radices eius haerens, excipit ſtomachus, quo primum illabuntur ea, quae accepta ſunt ore. Atque is, agitatione et motibus linguae quum depulſum et quaſi detruſum cibum accepit, glandularum inſitarum vicinarumque liquore ſemet ipſum lubricans, depellit; ipſius autem partes eae, quae ſunt infra id, quod deuoratur, dilatantur, quae autem ſupra, contrahuntur. Sed quum alui, quam ventriculum dicimus, natura, ſubiecta ſtomacho, cibi et potionis ſit receptaculum, in aluo multa ſunt mirabiliter effecta, quae conſtant fere e neruis. Eſt autem multiplex et tortuoſa, arcetque et continet, ſiue illud aridum eſt, ſiue humidum, quod recipit, vt id mutari et concoqui facile poſſit; eaque tum adſtringitur, tum relaxatur, atque omne, quod accepit, cogit et confundit: vt facile et calore, quem multum habet, et terendo cibo, et praeterea ſpiritu et proprio liquore, omnia cocta atque confecta, perque os eius inferum, pylorum vocant, in duodenum inteſtinum eiecta, in reliquum deinceps corpus diuidantur. Hoc vero antequam ita fiat, ipſis, in dicto inteſtino, cui ventriculi ſuccenturiati nomen eſt, primo bilis et ſuccus pancreaticus, deinde ex glandulis inteſtinorum veniens lympha, affunditur, quo, intimius permiſta, lacteum colorem induunt, et in ſuccum, quem graeco nomine chylum vocamus, conuertuntur. Ex inteſtinis autem et aluo, ieiuno, ſcilicet, ileo, et colo, inteſtino, ſecretus a reliquo cibo ſuccus is, quo alimur, permanat, et actione inteſtinorum, motum periſtalticum vocant, exprimitur per quasdam, medium per inteſtinum, ductas et directas vias, lacteas ſcilicet meſenterii venas, glandu-

larum

larum humore, in uia, dilutus, et agitatione venarum iſtarum extenuatus, in ciſternam lumbarem, ſub diaphragmate poſitam; indeque effuſus agitur per ductum thoracicum in venam ſubclauiam ſiniſtram. Quem ad modum autem reliquiae cibi depellantur, tum adſtringentibus ſe inteſtinis, tum relaxantibus, t) haud ſane difficile eſt dictu: extremo enim inteſtino ileo adhaeret id, quod coecum vocatur, coniunctum ei, quod colon dicunt; vnde exitus patet in aliud, quod rectum a ſitu appellatur, et cibi reliquias, muſculi eius, qui ſphincter graecis vocatur, vel contractu retinet, vel dilatatione deiicit.

§. XIII.

Sordivm, igitur, quidquid in toto hoc membranaceo inteſtinorum canali, ab ipſa gula ad recti inteſtini exitum, colligitur, id, maximam partem, ab iis, quae ingeſta ſunt, relinquitur; dum, quod ab alimentis, poſt coctionem, digeſtionem, et chyli ſecretionem, ſeparatum, craſſius, indiſſolutumque, exiſtit, in primis actione inteſtinorum, ſenſim paullatimque in craſſa inteſtina ſublabitur, omnique humore laudabili emulſo et diſpertito, in flexuoſi coli anfractus veluti depoſitum, quibuſdam interuallis egeritur. His enim cibi reliquiis, quod a bile cum primis, omnique in inteſtina confluente humore, accedat, perpaucum eſt. Nam iſti quidem humores, ex glandulis venientes, perſpiratique, laudabiles

 ſunt,

t) Haec ciceronis verba ſunt, ex quibus, ſi quid iudico, planum et apertum eſt, illa tempora non ignoraſſe *motum inteſtinorum periſtalticum*; quum, quibus huius inuenti gloria tribuitur, latine loquentes, illum magis proprie et aperte deſcribere non potuerint. Conf. Diſſ. noſtr. *de Motu Periſtaltico*, Wittenb. 1742.

ſunt, et a molli ſpongioſaque venarum lactearum, in tenuia maxime inteſtina, infinito numero, hiantium, natura, facile abſorbentur. Bilis autem, qua parte, nec in lacteum chylum excipitur, nec deinceps, libere per inteſtina fluens, lactea vaſa ſubit, haecque, vt inteſtina, blandiore ſuo ſtimulo ad perpetuam actionem, chylique promotionem, ſollicitat, flauo colore faeces tingens, molem earum, ad ſenſum aeque minus auget, ac illa glutinoſior lympha, quae recti inteſtini internam ſuperficiem lubricat, ipſamque aluum lentam et compactam reddit, ponderi eius quid adiicere videtur. Leuiores ſunt hae ciborum reliquiae, vix pondus vnciarum quinque aut fex, a tanta ingeſtorum mole, efficientes; vt ipſis aliunde quid adducere, nihil opus ſit.

§. XIV.

Atque hae, dicto modo, in inteſtinis collectae ſordes, ne, tanquam inutile pondus, corpori moleſtae ſint, ipſo ſuo onere, vt per interualla egerantur, rectum inteſtinum exſtimulant, eiusque muſculi, cuius actio a conſenſu noſtro dependet, dilatationem vrgent. Quam voluntariam alui deiectionem rectius, cum MARTIALI, u) ventris exonerationem, aut ſubtractionem, ἀποκένωσιν, dixeris, quam, vt vulgo ſolemus, euacuationem et exinanitionem, κάθαρσιν, ſiue κένωσιν, aut ἐκκένωσιν, quibus hoc ſenſu nec ipſe, quod non nulli aiunt, HIPPOCRATES vtitur. Nam, qui onere quodam ſe liberant, id, moleſto ponderis prementis ſenſu moniti coactique, cum voluptate quadam, faciunt; quos recte imitantur, qui, percepto ſtimulo, conſuetudini ſatisfaciunt, eoque, quod oneri ſibi eſſe ſentiunt, cum facilitate et grata quadam abdomi-

u) Epigr. X. 48.

dominis voluptate, ſe liberant. Contra ea autem, qui aluum euacuandam, penitusque exinaniendam, eſſe, ſibi perſuaſum habent, hoc ducti errore grauiter ſaepe offendunt, dum, ventrem vehementer comprimentes, totisque laborantes viribus, ſtimulum naturalem obtundunt, alui ſegnitiem augent, ſedem prociduam reddunt, ſibique omne haemorrhoidum, quas dicimus, genus haud raro inuitant.

§. XV.

Sed, ſi vel leuiſſimus error in rerum, vitae neceſſariarum, quas non naturales Medicorum conſuetudo vocat, vſu committitur, perſaepe accidit, vt aluus, nec ſueto tempore, nec more ſolito, reſpondeat, et, modo tardior officium faciat, modo citatior negotium nobis faceſſat. Quo caſu nihil videas frequentius fieri, quam, alui cauſſa, medicamentum poſci darique: de cauſſa turbatae conſuetudinis, aut non conſtat ſatis, aut deliberatum eſt ſilentium. Sed, noſtra ſententia, quidquid hic dederis, ſumſerisue, ſiue laxans molliensque, fuerit, ſiue irritans et purgans, remedium, niſi fomes turbati ordinis perſpectus ſit, et diligenter deinceps emendetur, venenum magis, habendum eſt, quam medicina. Nec muto ſententiam, etſi euentu, exoptato prorſus, hoc non numquam factum ſit. Caſu fieri poteſt ſatis recte, quod tamen conſilio fieri debebat. Neque ſemper, quod largior, in iis praeſertim, qui, cetera, bene valent, culpam poena comes premit: at tarditas etiam grauitate non raro compenſatur; et lenta venena non minus, quam praeſentiſſima, timenda ſunt. Recte CELSVS, x) *omnino cauendum eſſe*, inculcat, *ne, in ſecunda valetudine, aduerſae praeſidia conſumantur.* Naturae ſuccurrendum eſſe,

C 2 nemo

x) de Re Medic. Lib. I. cap. I. in fine.

nemo negat; ſed longo remediorum ordine non ſtatim opus eſt: longe efficacius ipſi, vt ſupra monuimus, earum rerum, quae, aut prodeſſe, aut obeſſe, ſolent, obſeruatione, auxilium praeſidiumque inuenitur. Et, quid tum conſilii, quum medicinae taedet? tum diaeta curari, belliſſimo ordine, incipimus.

§. XVI.

Iuuat rem vno alteroue exemplo illuſtrare. Supra dictum eſt, neglectas animi purgationes id ſaepenumero efficere, vt frequentius, ſumto medicamento, corpus purgare oporteat. Addimus hoc loco, fieri non minus poſſe, vt eaedem, purgantis medicinae vſum, corpori nequaquam permittant. Sunt, vt hoc nunc vtamur, qui ſtimulum naturalem, vt aluus deponatur, aut non ſentiunt, aut monenti illi, etſi ſentiunt, non obediunt. In illorum numero habentur, qui meditationibus profundis protractisque nimium attenti inhaerent; qui ſedentariam fatigationem, vt feſtiuus ille APVLEIVS iocatur, inceſſus vegetatione non diſcutiunt; qui curis, moerori, triſtitiae, amori, indulgent, animumque ab obiecto quodam, ſiue gratum ſit, ſiue minus, abſtrahere non poſſunt. Ad horum claſſem pertinent, qui naturalia, quae dicimus, turpia eſſe, adeo ſibi perſuaſum habent, vt malint opinioni turpitudinis, ſatisfieri, quam naturae; qui, neſcio quam, continentiae aut roboris laudem, longiore ventris compreſſione, adfectant. Atque his omnibus, ſi quidem periculum in mora eſt, ſemel atque iterum, ſed non ſemper, laxante aut purgante medicina ſuccurrendum eſt. Non alui, enim, non inteſtinorum, hoc eſt vitium, ſed illius, qui naturae debitam negat obedientiam. Qui delirat, plectendus eſt. Adde, dato purgante remedio cauſ-

ſam

ſam ſegnioris alui non modo non tolli, ſed etiam ſtimulum natu-ralem ita paullatim obtundi, vt deinceps, artificiali quoque ſtimulo, aucta in dies alui pigrities, non ſine difficultate reſpondeat. Non abſimili modo peccatur, ſi omnibus promiſcue, quibus aluus ſubito mouetur, aut, cum torminibus, frequentior reſpondet, laxans leniter medicina porrigitur; aut repetito toties, inuiſo et inficeto, clyſtere venter eluitur. In inteſtinis enim nullus ſaepe haeret peregrinus ſtimulus; nullae cruditates adſunt; nulla bilis acrimonia ſpaſmo inteſtina corripit, aluumque, vt vomitione ſe purget, exſtimulat. Magna et ſubita animi excandeſcentia, feruor actionis, repentinum gaudium, nauſea, terror, improuiſum periculum, maioris tempeſtatis ſuſpicio, emicantia ab omni coeli parte fulgura, eodem modo agunt, et tormina, alui profluuium, ipſam quandoque dyſenteriam, mouent. Hic, non alui ductione, ſed animi conſolatione, opus eſt. Spes timorem auferat; moeſtitiam laetitia. Purgentur ſuſpiciones, placabitur ira. *Animi paſſio, non medicinis, ſed alia paſſione contraria, ſuperabitur.* y)

§. XVII.

Similiter iam ſupra poſuimus, tres omnino eſſe ſollennes corporis purgationes; maximam, quae fiat inſenſibili perſpiratione; mediam, quae lotii ſecretione; minimam, quae alui egeſtione: nullamque, addidimus, citra alterius noxam, ſiue augendam, eſſe, ſiue minuendam. Incitata et cohibita perſpiratio adhuc nobis exemplo ſit. Si, ex inſenſibili perſpiratione, admodum ſenſibilis fit, adeo, vt roridus ille vapor in madorem condenſetur, mador in guttas confluat, gutta denique guttam, et vn-

y) Sanctorius, *Medicin. Static.* Sect. VII. Aphor. 6. et 12.

dam vnda, trudat: quod multi moliuntur, qui perſpirationem, ne ſciunt, tanto ſalubriorem eſſe, quanto ſubtilior, ſit, et, ſine madore, inuiſibilis; tum ab ordine et natura ſua deflectit, et reliqua euacuationum genera ad ſenſum minuit, impeditque. Hoc, damno ſuo, ſaepe diſcunt, qui, vehementiore animi contentione, et perpetuis veluti exercitiis, virium ſuarum, quid valeant humeri experimenta faciunt; qui res ſuas, ingenio commoti, paulloque iracundius, agunt et procurant; qui diuturna, aut laetitia, agitantur, aut triſtitia; qui denique, dum caleant rubeantque, dum toto corpore ſudor liquatur, corpus commouent, curſuque magis, quam ambulatione, cibum perficere laborant. Hi inteſtinis, omni culpa vacuis, aluum ſaepe lentam, adſtrictam, duramque, experiuntur, eam ſcilicet ob cauſſam, quod ſanguis vehiculo priuatur, ſpiſſior fit, incaleſcit, lympha cogitur, obſtructisque tenerrimis arteriolis, nullus ex inteſtinorum maioribus et minoribus glandulis liquor venit, quo aluus mollienda et lubricanda eſt. Quae, quum ita ſint, purgante remedio aluum ſollicitare, abſurdum foret, contra naturam artemque reclamaret; maxime, quum, nec locali medicina, clyſtere iniecto, praeter vnius alteriusue diei inducias, et temporarium leuamen, quid impetrandum ſit. Vt ea taceamus mala, quae, intempeſtiua alui ductione, inuitantur; quo ſpaſmos, colicos dolores, teneſmos, ſiccam choleram, haemorrhoidesque coecas et furentes, referas. Ad cohibitam autem perſpirationem quod attinet, quum contrariorum contraria ſint conſequentia, planum eſt, huius ſaepius, quam ſua culpa aluum crudam fieri et vehementius fluere. Varia autem ſunt, quae hanc euacuationem aut minuunt ſubito, aut nihil per cutem perſpirari ſinunt; in quorum numero, praeter animi impotentiam, angorem, terrorem

que

que, quas cauſſas iam vidimus, repentinam tempeſtatum mutationem, maiores aëris calidi, frigidique, ſicci et humidi, viciſſitudines, ventorum tractus, calentis corporis refrigerationes, gelatas glaciatasque delicias, potiſſimum haberi, conſentaneum eſt. Sane, qui hic ſubtilem, vt decet, obſeruationem adhibet, et quosque effectus, non ad quamque obuiam, ſed genuinam, cauſſam refert, is contra eius modi praecipites alui exinanitiones non, ducente medicina, pugnat, additoque ſtimulo affluxum ſeri auget, ſed, roboratis potius viſceribus, legitimas per cutem vias reſerat, et abundantes in corpore humores, quo decet, loco, euacuat. Haud excuſate peccat, qui, cum natura, cum turbata et impedita in opere ſuo natura, a recto tramite aberrat. Ars dux certior eſſe debet, quam natura.

§. XVIII.

Si reliquas res, vitae neceſſarias, atque in his maxime, quo animo venereis voluptatibus frui concupiſcamus, eadem diligentia circumſpicimus, dubium eſſe nequit, purgantis medicinae vſum prohiberi magis, quam indicari. Exhauſtis enim viribus qui corpus effoetum languere dolet, is, viſcera roborari, recte poſtulat, euacuari, et, quod conſequitur, adhuc magis debilitari, non permittet. Nam *aluum, ſi vehementius fluat, aut ſaepius ducatur, hominem infirmare*, venerisque ſtimulos extinguere, nemo eſt, quin CELSO z) credat, et mature intelligat. Sed habent praeterea et aetates, et temperamenta, habitusque corporis, quin anni quoque tempora, multas diuerſitates, propter quas purgantium vſus adhuc arctius circumſcribendus, ſaepeque, tanquam noxius

xius

z) *de Re Medic.* Lib. II. cap. 12.

xius et venenoſus, reprobandus et reiiciendus eſt. Ad aetates quod pertinet, in primis virium robur requiritur, vt quis purgante medicamento rite tutoque poſſit vti. Infantium ſicuti omnis alui fluxus ſuſpectus eſt, et ſtudioſe moderandus: ita purgantia non facile ferunt, in primis frequentia, *quum corpus non ali aſſueſcit, et ob hoc infirmum fit, omnibus autem morbis obnoxia ſit infirmitas.* a) Idem iudicium de pueris eſto; iuuenes virique facilius ferunt, quam feminae, debiliores natura, et menſtruali purgationi obnoxiae; ſenes autem, ob virium debilitatem, quam purgantia augent, minus commode purgationem tolerant. Quod etiam de grauidis valet, ne poculum abortionis adminiſtres; deque puerperis, quae, nec alui fluxum, nec purgantem medicinam, ſine periculo ferunt, leniſſime, ſi neceſſitas eſt, et lochia ſubſiſtunt, euacuandae. Sed, ſicuti temperamentum, ſiue κρᾶσις, in vniuerſum, ita cuiusuis corporis temperies, ἰδιοσυγκρασίαν vocant, in primis ſpectanda eſt, ne venenum pro panacea offeratur. Qui delicatiorem, otioſam, ſegnemque degunt vitam, et pleniorem corporis habitum ſibi contrahunt, purgante medicina, ſin opus fuerit, ſecure tentandi ſunt; non ita, qui corpore ſicco et calidiore ſunt, quique robuſto et athletico gaudent habitu. Hi enim multo largius perſpirant, quam illi; adeoque nec tantam cruditatum copiam in primis viis colligunt, nec viſcera tam laxa, acriorem ſtimulum impune ferentia, ſibi contrahunt. Vnde, *ruſticanam gentem magna remedia vt plurimum difficilius tolerare, quam vrbanam*, RAMAZZINI, b) ſuffragante experientia, obſeruauit. Poſtremo etiam anni tempora, purgantium vſum promiſcue non

per

a) Idem libr. cit. Lib. I. cap. 3.

b) Oration. III. *Opp. Omn. Medic.* p. m. 36. ſq.

permittunt. Quamuis neceſſitas enim legem non habet; extra illam tamen, qui calidioris naturae ſunt, calida temperie magis laeduntur a purgante medicina, quam vbi aer frigidior eſt; quia, quo maior aeſtus eſt, eo magis perſpirant, eoque ipſo, non debiliores modo fiunt, ſed etiam perſpirabile, quod dicunt, non ſatis coctum atque praeparatum, ad perforatam cutem rapitur, quod multorum acutorumque morborum genuina cauſſa habendum eſt. Φαρμακεύειν, docet HIPPOCRATES, c) θέρεος μὲν, μᾶλλον τὰς ἄνω. Χειμῶνος δὲ, τὰς κάτω. Et paullo poſt: Ὑπὸ κύνα, καὶ πρὸ κυνὸς, ἐργώδεες αἱ φαρμακεῖαι. *Purgandi, aeſtate quidem, magis ſuperiores ventres; hyeme vero inferiores. Sub cane, et ante canem, difficiles ſunt purgationes.*

§. XIX.

SED ab vlteriori huius rei examine, quantiuis ſit pretii, in praeſenti abſtinendum eſt. Si quid iudicamus, ex his, quae exempli loco adduximus, luculenter conſtat, iis, qui vtcunque valent, et futuros morbos praecaueri volunt, rarius mouendam aluum eſſe, quam vulgo facere, ſine indicatione, ſolemus. Quare aquarum etiam medicatarum conſuetudinem merito ſuſpectam habemus; quum illam ſane non paucis, niſi deinceps animum inprimis mutauerint, et diaeta curari inceperint, plus damni, quam emolumenti, attuliſſe ſaepe obſeruauimus. De omni illo medicationis, quam praeſeruatoriam, προφυλακτικήν, vocant, adparatu, lepide venuſteque IO. BAPT. VVERLOSCHNIG, d) *Medicus Falſianus Doctiſſ.* cecinit; quos rhythmicos verſiculos, quum eius modi ingenioſi luſus apud non nullos vim demonſtrationis ſuperent, apponimus:

Haec cura maialis Eſt mihi lethalis:
Nam vires proſternit, Dum Recipe cernit.

D Pur-

c) *Aphoriſm.* Sect. IV. 4. 5.

d) Tr. *Curationis Verno-Autumnalis, Purgationi, Venaeſectioni, Vomitioni, innitentis, Abuſus.* etc. Frf. 1713. 8.

Purgare, cacare,
Me facit ſudare:
Globos, potiones,
Paro coctiones.
Inſpiſſo extracta,
Me torquent haec acta:
Nam dormio parum,
Nec finis eſt harum:
Pyxis vacuatur,
Et labor cauſſatur.
Sic cura maialis
Eſt fructus lethalis:
Hac ventres purgantur
Non tamen ſanantur.
O Doctor! qui purgas
Labore nos iurgas!
Proh! ceſſa curare,
Et ſanos purgare.

§. XX

Qvae hactenus, tum experientiae et obſeruationum fide diſputauimus, tum ex ipſa corporis fabricatione et natura demonſtrauimus, eorum ſumma haec eſt. Tria potiſſimum dantur euacuationum naturalium, quibus corpus a ſuperfluo et inutili purgatur, genera: inſenſibilis perſpiratio, quae maxima eſt; vrinae ſecretio, quae medio fere modo ſe habet; et alui excretio, quae minima eſt, et illi minimum octuplo, huic autem quadruplo, inferior obſeruatur. Harum euacuationum ea eſt natura, et quaſi conſpiratio, vt altera alteram in ſtatu et vigore conſeruet; vna autem, quoquo modo laeſa, ſiue aucta, ſiue minuta, reliquae in conſenſum rapiantur, et contrario modo ſe habere cogantur. Illa autem quae per aluum fit, excretio, hoc modo definienda eſt, quod ſit actio naturalis, qua ſordes, ab ingeſtis paullatim collectae, motu inteſtinorum periſtaltico, et conſpirante, ex conſenſu, muſculorum abdominis, recti inteſtini, et diaphragmatis, actione, per interualla ſubtrahuntur, et ſine moleſtia, tanquam inutile pondus, deiiciuntur.

§. XXI

Ex his ſponte fluunt, et, axiomatum generalium loco, habenda videntur: I. Imitanda, quam fieri poteſt, maxime natura eſt; et quaelibet harum euacuationum, vt in ſtatu, et ratione ad reliquas, conſeruanda, ita ad officium, eamdemque proportionem, ſ

decl

declinauerit, reducenda. II. Non idem eſt, quo loco quodque euacuetur; ſed quaeque, per ea loca, quibus apta ſunt, aut commode apta reddi poſſunt, ducenda ſunt. III. De eo ergo ante omnia circumſpiciendum eſt, vtrum aliqua euacuatio, ſua culpa, laeſa ſit, an per conſenſum tantum patiatur, et officium deſerat. IV. Ratio laeſarum euacuationum aequalis eſt rationi euacuationum, rite ſe habentium, ſpectata excretionis et quantitate et velocitate. V. Criſis, quam hoc loco ſecretionem inutilium et peccantium humorum per loca inſolita dicimus, non ſecundum naturam eſt; adeoque nec turbanda temere, nec imitanda. VI. Natura, ſi a recto tramite deflectit, ne conſuetudo alteram quaſi naturam faciat, in viam circumſpecte reducenda eſt. VII. Tot remediorum ſumma genera quaerenda ſunt, quot modis euacuationes laedi et turbari poſſunt. VIII. Virtus remediorum ſpecialis eſſe poteſt, generalis eſſe non poteſt. Dantur ergo Specifica; Panaceae dari nequeunt.

§. XXII.

Ex natura excretionis, quae per aluum fit, haec fere ſequuntur: I. In excretione alui promouenda naturam habet ars, quam ſummo ſtudio imitetur. II. Aluus, ſi officium non facit, paullatim, nec vno impetu, ducenda eſt. Exoneratio enim ab euacuatione, vt pars a toto, differt. III. Actio inteſtinorum, ſeu motus periſtalticus, hoc modo moderanda eſt, vt, nec nimis relaxetur, nec nimis intendatur. IV. Sordes ducendae ſunt, quae a ciborum reliquiis colliguntur; quod fit ſine reliquarum euacuationum conſenſu et turbatione. V. Laxans remedium, quod leniter, et ſine moleſtia ſubſequente, euacuat, naturae conuenientiſſimum eſt. VI. Purgans remedium, quod aluum omnino euacuat, et reliquas euacuationes turbat, ſuſpectum et noxium eſt. Conſtat enim per ſtatica experimenta, alui purgationes inſenſibilem perſpirationem minuere. VII. Purgans remedium, quod actionem inteſtinorum intendit, his debilitatem, et paullatim infirmitatem, ἀτονίαν, inducit, et ſtimulum naturalem obtundit. VIII. Purgans remedium,

quod inteſtina irritat, non ſordes, ab ingeſtis collectas, tantum, ſed ſimul humores nutritios et laudabiles, praeter naturam in inteſtina deriuatos, euacuat, et corporis vires exhaurit. IX. Critica alui excretio, quum ſecundum naturam non ſit, nec turbanda temere, nec molienda. Alia enim ſalutaris eſt; alia minus, nec cum leuamine ſit.

§. XXIII.

Ex his, quae de euacuationibus corporis generatim, deque alui excretione ſpecialiter, enunciauimus, omnino efficitur, eorum remediorum, quae aluum ducunt, vſum frequentiorem, contra naturam, et firmiſſima, non ſumta, artis principia, manifeſte repugnare. Age vero! ex vtroque argumentorum genere rem vlterius deducamus. Quum ea ſit dictarum ſaepius euacuationum ratio, vt perſpiratio inſenſibilis reliquas, ſimul ſumtas, plus altero tanto ſuperet; vrinae autem ſecretio cum alui excretione, ſicuti tria cum vno, comparari poſſit: conſentaneum eſt, quae mala, ex laeſa perſpiratione, oriuntur, et numeri, et periculi, intuitu, tanto maiora eſſe debere, malis, a turbata aluo prouenientibus, quanto plus, in ſtatu integro, per illam, quam per hanc, inutilium humorum e corpore eliminatur. Erunt ergo morbi, vtramque laedentes euacuationem, ſi numerum ſpectes, inuicem comparandi, vt octo cum vno. Sed accedit, quod pariter extra controuerſiam a nobis poſitum eſt, cuique euacuationi laeſae ea circumſpectione medendum eſſe, vt quaque via ducatur, quod per illam duci conuenit. *Per vnicum* enim, *eumque moderatum, ſudorem, et tota maſſa ſanguinea, et vniuerſus corporis habitus, plus purificatur, quam forſan per decem purgationes.* e) Ex quo conſequitur, purgantem medicinam, ex octo aegrotantibus vix vni, exhibendam eſſe, reliquis ſeptem, noxia hac medicina, tanquam veneno, interdicendum. Sed eadem eſt morborum alui, cum morbis, a laeſa lotii ſecretione oriundis, ratio et proportio: quo fit vt aegrotantium vix duodecimus quiſque, purgante remedio, pri-

e) M. ETTMVLLER *Opp. Medic.* T. I. p. 162.

ſtinae reddi poſſit ſanitati. Taceo alia morborum genera, in primisque, quae ſubito inuadunt, populariter graſſantur, et, multis ſtipata ſymptomatibus, complicata habentur; quaeque ſolidis partibus, externa violentia laeſis, accidunt; vtpote quae, iuncta cum prioribus, facile poſſunt efficere, vt purgans medicina vix viceſimo cuique aegrorum, citra male metuendam noxam, offerri poſſit.

§. XXIV.

Vix a nobis impetramus, vt numeroſam eorum morborum, quibus purgantia, inſtar veneni, ſunt, familiam prodire in medium iubeamus, ne rem forte nimium exagitare atque contemnere videamur. In primis, quum cauſſas eorum et effectus ſimul commemorare non liceat. Sed hoc illis ſupplendum relinquimus, qui hos, ferociore purgantium impetu non oppugnandos, hoſtes intus et in cute noſſe diſcupiunt. Sunt autem in horum numero praecipui, fere vniuerſum febrium genus, in primis tertianae febres, nondum omnino formatae, finientesque, quum facile reuocantur; quartanae omnino; continuae et acutae febres, quaeque catarrhales, benignae, malignaeque, et plane petechizantes, ſunt, et ab inflammatis viſceribus nominantur; in primisque, quae exanthematicae dicuntur, varioloſae, morbilloſae, purpuratae, petechiales; quaeque, in angina, pleuritide, peripneumonia, et ſic porro, vehementioribus ſtipatae ſymptomatibus ſunt, et peracutae habentur; quibus, bilioſas, dyſentericasque, et vno verbo, omnes inflammatorias, ipſasque peſtilentiales, in ſocietatem adiungas, non relictis denique lentis illis, hecticis, phthiſicisque. Proximi ab his merito habentur, qui a vitiatis humoribus oriuntur, cachexia, chloroſis, icterus, ſcorbutus, tuſſis ſicca, aſthmatici inſultus, fluxiones ſeroſae, coryza, humida tuſſis, haemorrhoides, alui profluuia et diarrhoeae, lacteae, atque coeliacae; cum malo hypochondriaco, variorum viſcerum obſtructionibus, a viſcida lympha oriundis, morbisque omnibus arthriticis. Quo tandem etiam omnes conuulſionum et ſpaſmorum ſpecies, conuulſiuam

colicam, hyſtericas paſſiones, cum menſibus ſuppreſſis, nimiisque, et omni haemorrhagiarum turba, referas.

§. XXV.

In his omnibus enim, aut omnis purgatio nociua maxime et funeſta eſt, aut nulla, niſi leniſſima, extra paroxyſmos, et circa declinationem, coctis et praeparatis omnibus, admittenda videtur. Nam purgantia illa et exſtimulantia, frequenterque repetita, remedia, ſerum ſimul ac laudabilem lympham euacuant, vires aegrotantibus ſubtrahunt, inducta debilitate, et fuſis, colliquatis, putrefactisque humoribus, cachexiam, hecticam, phthiſin, inducunt; vertiginesque, pigram aluum, pertinaces eius obſtructiones, ſpaſmos, inteſtinorum atoniam, hydropicos, tympaniticosque, affectus poſt ſe relinquunt. Immo vero, ſicuti his morbis iam per ſe minus opportuna ſunt purgantia: ita plura alia eorum vſum omnino prohibent, et, quod dicimus, contraindicant, quamuis, ceteris paribus, exhiberi poſſint, atque indicentur. Quo pertinent languentes, et exhauſtis iam fractisque viribus aegri; delicatiores et maxime ſenſibiles naturae; ſpaſmodicis adfectionibus et lipothymiis obnoxii; grauidae puerperaeque, et, quibus menſes fluunt, feminae; hernia, maxime incarcerata, affecti; ex morbis oculorum laborantes; vulnerati omnes, et ſic porro. Neque minus huc in primis multum facere, et legitimum purgantis medicinae vſum ſcrupuloſiſſimis concludere limitibus, intelligas, tam variam et infinitam, aetatum naturarumque diuerſitatem; vt coeli temperiem, ſic morborum etiam diſſimilia maxime, et, omni adhibita induſtria, vix ſatis diſtinguenda, tempora; adfectatas a natura perfectasque morbidorum humorum euacuationes, et criticas morborum ſolutiones; plurium morborum, grauiſſimorumque ſymptomatum συνδρομὴν, et quae ſunt id genus alia. Quae ſane dum cogito, his tamen morbis, neglecta contraindicantium, prohibentiumue monitione et obiurgatione, cautionibus, per omnem confirmatis experientiam, turpiter ſpretis, et faſtuoſe reiecta omni prouidentia, purgantes panaceas commendari inaudio, huiusque frequen-

quentatum vſum laudibus ad coelum, vnde, ſi Diis placet, arcana
ius modi deſcenderunt, extolli intelligo: tum tremiſco totus, et
utis mihi horret, et barbariae ſeculi, ferociaeque, quae monito-
em ridet, totque per mortes impune actis experimentis, ſortis
oſtrae turpitudinem miſeratus, illacrymor.

§. XXVI.

CREDERES, omnem purgantium remediorum familiam ex
e publica medicamentaria proſcribendam eſſe, et perpetuo tan-
em, quod toties cordatiores omnes in votis habuerunt, multan-
as exilio: nec multum a vero declinaueris. A viſcidis enim pri-
narum viarum cruditatibus, a feroſa colluuie et hydropicis adfe-
tionibus, ſi quidem diſceſſeris, pauci morbi ſunt, qui purgantia,
oc eſt, exſtimulantia et peregrinos humores in inteſtinorum ca-
itatem adducentia, remedia, impune, et quadam cum εὐφορίᾳ, fe-
ant; pauciores, quorum cauſſae hoc medicamenti genere expu-
nari, ſine conſequente grauiore noxa et maiore periculo, poſ-
nt: tantum abeſt, vt ea ſola omnibus morbis conuenire, eisque, a
ledico, abſente, animique conſcientiam, vt decet, curante, tuto
ſecure opponi, ſalutemque prolixe promitti, poſſe, conſentane-
n, naturae, artique, fundatiſſimae, et, quam meruit, aeternitatem
urae, videatur. Quae genuina vtilitas a purgante medicina ex-
ectari poſſit, concinne, laudatus ſaepiusque laudandus, ETTMVL-
ERVS *f)* docet: *In praeſeruatione*, ait, *quinquies aut ſexies, ad
mmum, poteſt fieri euacuatio; in curatione, tantum purgatio inſti-
itur, vel in declinatione acutorum, vel in progreſſu chronicorum:
m in principio morborum purgatio eſt nocina, quoniam omnia ad-
c ſunt cruda; et concocta, medicamento purgante educenda et mo-
nda, non cruda, neque per initia, niſi turgeant. Ergo eradicati-
euacuatio nullo modo conueniet. Tandem etiam in progreſſu ſuf-
it, ſi inſtituatur purgatio ter vel quater; et quidem, ſi ſint morbi
ronici, in illis poteſt ſingulis quatuor ſeptimanis propinari pur-
ns: in acutis non, niſi in declinatione, quando nondum facta eſt
criſis*

f) Opp. Medicor. Tom. I. p. m. 615. edit. Francof. 1708. fol.

criſis, nec aeger per ſudorem bene fuit curatus, bis vel ter euacuare ſufficit, ſimulac exceditur, aeger detrimentum patitur. Ergo cautiſſimus in purgantibus, et, quando non admodum exiguntur, ſaltem largus prouocetur ſudor, qui melior erit omni purgante.

§. XXII.

Haec, ſi volupe et pretium fuerit, comparare cum noua illa, in vanos tumultus nata, et ex Galliis nuper auide, vt ſolet, excepta, artis noſtrae θεοςία, poteris. Nihil prohibemus; neque hoc contendimus, vt purgantes AILHAVDII puluores, *illam ipſo nomine omnium morborum remedia promittentem, numeroſam, et Diis inuentoribus adſcriptam, panaceam*, g) emere, deinceps, laudare, et in ſuccum ſanguinemque vertere, omnemque tandem ſanitatis tuae ſpem atque fiduciam, hominum tibi ignotorum exempla ſequutus, in arcana et occulta ponere medicina deſiſtas. Officio, quod videtur, et conſcientiae, ſatisfacere, ſatis nobis eſt; reliqua ad nos nihil attinent. Interea tamen te latere nolumus, AILHAVDIANAM iſtam panaceam, in arcanis maxime abditeque occultis, non ita deinde, vt hactenus, forſan habendam eſſe: quum, non adeo difficilem horum pulverum compoſitionem, ſint, qui detexiſſe ſibi, poſſint videri. Puluerem parare nouimus, qui cum Gallico iſto, tam exacte omninoque conuenit, vt, iuxta ſe poſitos, ſenſuque, exploratos, colore, ſapore, pondere, virtute etiam, immo, artis lege, igne, digeſtione, extractione, praecipitatione, examinatos, nihil diſcriminis intercedere, Amicis quibusdam, et in his maxime, *Cel.* VATERO, *Collegae et Fautori noſtro honoratiſſimo*, compertum ſit. At puluerem illum, venalem exponere, eoque crumenas auro purgare, quae princeps tamen, et fere inuidenda, eius virtus eſt, non didicimus. Noſtrae compoſitionis modum indicare, non vnam ob cauſſam, tantiſper diſferimus: habebunt forſan, quod ſaepe fit, paruae commoda magna morae.

g) PLINIVS, *Hiſtor. Natur. Lib. XXV. cap. 4.*